

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. VI - N. 2

1974

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00199 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1974

EX ACTIS PAULI PP. VI

Litterae Apostolicae	
<i>Firma in traditione</i>	117
Allocutiones	
I. <i>In Aede Sixtina habita, Beatisimo Patre Sacrum concelebrante, ad Exc.mos Praesules Americae Septentrionalis Foederatarum Civitatum Romae congregatos</i>	120
II. <i>Em.mis et Exc.mis Patribus III Coetus Generalis Synodi Episcoporum eodem Coetu ad finem vergente</i>	123

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei</i>	
I. Declaratio de sensu tribuendo adprobacioni versionum formalium sacramentalium	133
II. Declaratio de abortu procurato .	134
<i>Pontificia Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis</i>	
Responsum ad propositum dubium . .	148

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

Communicatio de opere Codicis Iuris Canonici recognoscendi	149
I. Communicatio	150
II. Discussio	158

ACTA COMMISSIONIS

De opera Consultorum in apparandis canonum schematibus	177
De potentia matrimonium dirimenti	177
Coetuum studiorum labores	199

NOTITIAE	221
--------------------	-----

INDICES

Indices anni 1974	223
Index locorum ex Sacra Scriptura citatorum	225
Index locorum ex Concilii Vaticani II textibus citatorum	227
Index canonum Codicis Iuris Canonici citatorum	229
Index nominum personarum	230
Index rerum generalis	232

Acta Commissionis

DE OPERA CONSULTORUM IN APPARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

De impotentia matrimonium dirimenti

Diebus 16-21 februarii 1970, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo convenerunt consultores designati ut sodales coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure matrimoniali.

Interfuerunt cum Cardinali Praeside et Secretario sexdecim consultores; invitati quoque sunt tres periti in arte medica et psychiatrica.

In praesenti sessione examinata est quaestio de impotentia, circa quam sequentia puncta a Secretaria studio consultorum submissa fuerant:

1. De impotentia organica et speciatim de vasectomia viri, an sit retinenda tamquam impotentia viri matrimonium dirimens.
2. De impotentia functionali, an et quatenus impedimentum dirimens matrimonii constituat.
3. An et quomodo can. 1068 C.I.C. reformandus sit.
4. De morbis psychicis, qui impediunt aestimationem validam consensus matrimonialis et discretionem circa naturam et onera eiusdem consensus, an et quo loco Codicis de iis tractandum videatur.

Cardinalis Praeses, attenta gravitate quaestionis de impotentia, voluit ut aliqua studia et subsidia consultoribus ante tempus praesto essent ita ut accuratius et profundius iidem vota appararent.

Ideo consultoribus haec subsidia data fuerant: Positio « Quaestio IV de Matrimonio » (de viri potentia) a Pontificia Commissione de Sacramentis praeparatoria Concilii Vaticani II anno 1961 parata; studia et vota, rogatu nostrae Commissionis, exarata ab octo viris in hac re peritis.

Conventus I

Die 16 februarii 1970

Quoad ordinem laborum Relator has quaestiones in sua Relatione proponit:

- 1) An impedimentum potentiae matrimonium dirimat *ex ipso iure naturae*;

- 2) De impotentia organica;
- 3) De impotentia functionali;
- 4) An et quomodo can. 1068 reformatus sit;
- 5) De morbis psychicis qui impediunt aestimationem validam consensus et discretionem circa naturam et onera eiusdem consensus.

Card. Praeses vero proponit ut imprimis disceptetur in quo constat copula perfecta quae sit apta ad matrimonii consummationem sive ex parte viri sive ex parte mulieris et deinde examinentur quaestiones 2, 3, 4 et 5 indicatae a Relatore; ultimo vero examinetur quaestio an impedimentum impotentiae matrimonium dirimat ex ipso iure naturae.

Relator vellet secundo loco examinare quaestionem an impotentia matrimonium dirimat iure naturae, quia, dicit ipse, si huic quaestioni negative forte respondeatur, non iam agetur de definienda natura impedimenti iuris naturalis eiusdemque specierum, sed de convenientia statuendi necne iure positivo impotentiam tamquam impedimentum dirimens et quatenus id esse debeat.

At Card. Praeses notat melius resolvi posse quaestionem de iure naturae postquam omnes quaestiones de ipsa impotentia examinatae fuerint. Cum enim omnia elementa ipsius impotentiae praे oculis habeantur, facilius iudicium efformari poterit an ipsa matrimonium dirimat iure naturae. Ceterum talis quaestio perdifficilis est, quare forsitan opportunum erit studium ex professo circa eam aggredi et vota a peritioribus querere, antequam de ipsa in hoc coetu discutiatur.

Post brevem discussionem fere omnes concordant cum propositione Card. Praesidis.

I

Quaenam copula sit apta ad matrimonii consummationem

Praeses petit ut consultores dicant quaenam sint elementa quae copulam perfectam constituunt.

Unus consultor dicit usque nunc communiter putatum esse ad copulam perfectam requiri penetrationem vaginae et effusionem veri seminis. At elementum veri seminis forsitan omitti potest, et tantum attendi debet an adsit ejaculatio quae sit satiativa libidinis.

Alius vero notat quod in veteri traditione canonistica ad copulam perfectam requirebatur in viro membrum validum ad penetrandam

vaginam et in ea semen effundendum; in muliere vero vagina capax recipiendi membrum. De natura seminis quaestio non erat, cum, supposita copula, omnia alia potentiae generandi tribuebantur. Impotentia autem generandi non dirimebat matrimonium.

Res postea implexior facta est. Primo ex Constitutione Sixti V *Cum frequenter*, dein ex deductionibus exaggeratis principii iuxta quod ius in corpus, per consensum traditum et acceptatum, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem esse debet (cf. can. 1081, § 2).

At ex Constitutione Sixti V non certe deducitur illum esse virum impotentem qui semen in testiculis elaboratum emittere nequeat. Sed tantum ibi asseritur eunuchos et spadones matrimonium inire non posse cum sint incapaces seminationis ordinariae seu concupiscentiae satiativae et ideo nullum finem assequi valent, ne quidem illum qui secundarius habebatur, nempe remedium concupiscentiae.

Doctrina et iurisprudentia, quae asseruerunt necessitatem seminis in testiculis elaborati copulaeque per se aptae ad prolis generationem, ita notionem potentiae coeundi exaggeraverunt ut distinctio ipsam inter et generandi potentiam confusa facta sit. Immo notio ipsa matrimonii ita strictiore habuit sensum ut eius finis, qui primarius dicebatur et in prole ponebatur, quasi tota esset unaque coniugii causa. Ex qua exaggeratione nata est illa gravissima discrepantia quae comprehenditur in decisionibus S. Sedis: viro qui vasectomiam subiit matrimonium non prohibetur; viri autem, qui accusatur apud Tribunalia de incapacitate emittendi semen in testiculis elaboratum, matrimonium nullum dicitur propter potentiam. Et quidem in recentioribus sententiis quorundam tribunalium remota est clausula de non transeundo ad alias nuptias, quae viro ita impotenti antea dabatur. Confusio crescit in dies. Nuperime editae sunt sententiae quae mulierem excissam potentem dicunt et hoc tantum ex ratione paritatis: si vir incapax emittendi verum semen seu in testiculis elaboratum impotens dicitur, ita et mulier... Quod quidem circulum vitiosum parere videtur. Cur enim non dicitur: cum mulier excissa sit potens, et vir vasectomizatus potens habendus est?

Valde expedit, concludit consultor, ut redditus fiat ad doctrinam antiquorum secundum quos illa copula habebatur perfecta quae sit satiativa libidinis, sine respectu ad naturam veri seminis. Quae quidem doctrina hodie a multis doctoribus tenetur (25 doctores citantur) et confirmatur indirecte a Concilio Vaticano II, qui fines personales matrimonii extollit.

Card. Praeses concordat cum consultore circa confusiones ortas ex quaestione veri seminis et addit alia incommoda secuta esse ex praxi examinandi microscopice naturam veri seminis eo etiam quod saepe saepius semen ex masturbatione hauritur.

Tertius consultor censet ad copulam perfectam semen requiri in testiculis elaboratum. Attamen in re tanti momenti opportunum est sententias peritorum habere.

Quartus consultor dicit multis abhinc annis nimis auctores atten- disse ad copulam ad prolix generationem aptam, parum autem ad co- pulam ad matrimonium contrahendum et constituendum aptam.

Ut responderi possit quaestioni quaenam sint elementa copulae perfectae, quedam principia praे oculis haberi debent, quae si ab omnibus acceptentur, responsio forsitan univoca illi quaestioni dari potest.

Haec principia sequentibus punctis resumi possunt:

a) quaestio de elementis copulae perfectae sub aspectu iuridico non coincidit cum doctrina scientiae medicae, saltem non adamussim: haec invocari potest in adiutorium praestandum canonistis, absque tamen determinationis virtute;

b) ius ad matrimonium est ius fundamentale omnium hominum. Privatio talis iuris non admittitur, nisi evidenter contrarium probetur sine ullo dubio (sive iuris sive facti);

c) impotentia generandi, non solum in actu sed etiam in potentia, non est contra fines matrimonii. Hoc apparet ex canonibus a nobis recognitis tum de essentia matrimonii tum de consensu matrimoniali et convenit cum doctrina Concilii Vaticani II;

d) in novo iure fulgere debet principium aequalitatis utriusque sexus, salvo quidem charactere specifico a natura ipsa ditato;

e) non videtur ab omnibus et a singulis documentis S. Sedis trahi posse conclusiones quae semper validae sint.

His omnibus praे oculis habitis, videtur dicendum ad copulam perfectam, quatenus est actio humana, praescindendo ab actione naturae, requiri in viro erectionem et penetrationem membra virilis in vaginam mulieris ibique seminis depositionem, in muliere vaginam aptam ad receptionem membra. Semen virile requiritur et sufficit quod communiter emittitur, quin necessario sit prolificum seu etiamsi spermatozoide careat.

Alius dein consultor censet ad copulam perfectam in viro requiri erectionem membra, penetrationem vaginae et emissionem veri seminis in testiculis elaborati.

Sed alius censet ad copulam requiri penetrationem vaginae et emissionem semenis, seclusa quavis investigatione circa naturam semenis.

Alius consultor concordat cum consultoribus qui non requirunt verum semen ad copulam perfectam. Ex verbis can. 1081 C.I.C. (ius in corpus ... in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem) non sequitur necessitas veri semenis, quia ibi delimitatur ius in corpus, scilicet excluduntur alia iura in corpus quae non sint actus per se aptos ad prolis generationem, ut puta homosexualitas et alia huiusmodi. Aliud quoque proponit idem consultor ut nempe coetus quaestioni respondeat utrum consideranda sit copula perfecta quae violenter et quasi per stuprum, vel quae cum magnis doloribus feminae habeatur.

Peritus A dicit copulam perfectam, physiologice loquendo, esse actum inter personas diversi sexus, qui tribus gradibus successivis constat: erectio, penetratio, immissio semenis vitalis. Tres illi gradus sunt plerumque necessarii, sed aliquando aliquis gradus deficere potest, ut puta in casu ablationis membra virilis vel seminationis artificialis. Progressus qui praevidentur in campo genetico saepe involvunt gravissimas quaestiones morales. Attamen illi progressus tales ac tanti sunt ut certo certius in futuro in usu fere communi erunt. Quaenam erunt conclusiones doctrinae et iurisprudentiae circa fecundationem artificialis? Summa difficultas haberi posset ab illa sententia Domini « fiunt una caro ». Attamen, si ad realitatem bene attendamus, non est dubium quod « una caro » coniugum plene habetur tantum in filio, dum in unione maritali imperfecte verificatur illa « una caro ».

Peritus B profitetur se non esse iuristam, quamvis quaestionibus de medicina legali operam navavit. Sub aspectu medico et ex experientia professionali loquens, adhaeret opinioni quae in copula perfecta exigit possibilitatem generandi, quae opinio suum fundamentum habet ex eo quod finis primarius matrimonii est procreatio. Ideo ei placet quod dixit peritus qui antea locutus est, quod nempe « una caro » plene verificatur in filio.

Attamen fatendum est enuntiationem finis primarii matrimonii suum influxum habuisse in determinandis elementis copulae perfectae in traditione canonistica. Notio autem canonistica copulae perfectae aliquando forsan revideri debet sub luce factorum, quae nobis praebent scientia et experientia medicalis et psychiatrica.

En aliqua facta:

— Dantur semina inter se incompatibilia; semen est fecundum sed non cum illa femina.

— Dantur matrimonia quae felicia sunt, in quibus vir seminat ante portam; ope instrumenti orthopedici aliqui coniuges copulam perfecerunt qua filios generaverunt et haec matrimonia non videntur reiicienda.

— Datur etiam impotentia eiaculandi. Casus rari sunt, attamen existunt et frequentiores aliquando evadunt ut effectus secundarius medicamentorum. Mederi tamen possunt ope medicamentorum aphrodisiacorum.

— Etiam de femina loqui oportet. Vaginismus potest methodo medica tractari. Sed quid de menopausica? quid de excissa? Possuntne habere copulam perfectam?

Alius Consultor fatetur se, ex auditis ab aliis consultoribus, multum dubitare an per viam traditionalem perveniri possit ad dubia solvenda et ad clariores leges edendas circa impotentiam. Alia via sequenda est: deleantur a can. 1068 § 1 verba « ipso naturae iure », quae sunt verba theoretica et nullam consequentiam iuridicam videntur habere. Suppressio illorum verborum hoc commodum afferret quod nempe determinatio casum impotentiae (v. g. de viro vasectomizato, de muliere excissa) penderet a libera legislatoris ecclesiastici voluntate, cuius erit statuere incapacitates ad nuptias ineundas ob impotentiam. Praeterea omnino distinctus teneatur ambitus iuridicus impotentiae et consummationis. In C.I.C. tales sunt connexiones inter impotentiam, consummationem et consensum (can. 1081, § 2) ut ipsorum notio fere eadem sit. Ratio est quia nimis C.I.C. insistit in conceptu physico. Tempus autem iam advenisse videtur quo magis aspectus personalis matrimonii et necessariae consequentiae talis aspectus considerentur. Nos iam aliquid fecimus in recognoscendo can. 1081; oportet et alias consequentias admittere.

In hac praecisa materia, si aspectus personales attendere velimus, deberemus largiores esse in delineanda potentia ita ut casus illi et alii huiusmodi, de quibus locuti sunt periti, a matrimonio ne excludantur ob impedimentum impotentiae. Super omnibus his casibus Ecclesia dispensationem super rato et non consummato dare posset.

Notio autem consummationis firma teneri debet cum omnibus suis elementis quae matrimonium reddunt indissolubile.

Card. Praeses petit a consultore utrum in casu fecundationis artificialis matrimonium censeri beat consummatum necne.

Consultor respondit consummatum non esse habendum.

Alius consultor putat difficillimum esse numerare elementa essentia copulae perfectae. Fere omnes concordare possemus quod non

requiritur verum semen; sed iam aliquis putat ipsam penetrationem non esse semper omnino necessariam. Quid ergo de copula?

Alius adhuc consultor censemt ad copulam perfectam requiri organa copulatoria (membrum virile, vagina naturalis), penetrationem, unionem satiativam libidinis, etiamsi semen non sit vitale.

De copula autem satiativa videtur dicendum illam esse talem in qua duo coniuges satisfactionem libidinis assequuntur, etiamsi sedatio concupiscentiae non habeatur.

Alius quidem censemt impossibilem esse enumerationem elementorum quae iure naturae requiruntur ad copulam perfectam. Limites enim iuris naturalis non sunt omnino certi. Talis incertitudo possibilitatem dat comparandi et componendi exigentias iuris naturalis cum realitate historica et existentiali. Quae compositio autem numquam erit stabilis ac definitiva quia semper permanet aliqua tensio inter ius naturale et realitatem existentiale. Ex hoc patet nos numerare non posse omnia elementa copulae perfectae, sed tantum aliqua elementa necessaria eiusdem copulae determinare. Elementa copulae necessaria videntur esse penetrationem vaginae et effusionem semenis quae sit satiativa libidinis, seclusa notione « veri semenis ». Ex parte mulieris, excissae vel non, sufficit ut sit capax membrum virile in vaginam, etiam occlusam, recipiendi.

Alius pariter dicit perdifficile esse omnia elementa copulae determinare et quamvis definitionem esse periculosam, quia agitur de re intime conexa cum progressu psychologiae, physiologiae etc. Definitio, si daretur, esset provisoria et postea mutanda cum progressu illarum scientiarum. Si aliquam definitionem dare oporteret, praescindi non posset a doctrina Constitutionis *Gaudium et spes* et Enc. *Humanae vitae*, in qua matrimonium praebetur ut intima vitae communio in ordine ad filios procreandos. Iamvero haec communio vitae variis elementis perficitur et non semper in eodem gradu ita ut tantum negative describi possit, indicando scilicet quando ipsa certo non habetur ob defectum aliquem determinatum.

His positis non videtur requiri posse, ad copulam perfectam, verum semen. Sufficit erectio membra virilis, penetratio et ejaculatio liquidi seminalis.

Alius consultor dicit sibi persuasum esse in quaestione de vero semine haberi dubium iuris. Hoc dubium iuris magnum pondus acquirit sub luce novi conceptus matrimonii a Concilio Vaticano II traditi et in can. 1013 recognito iam accepti.

Attenti esse debemus ad ea quae a Guberniis civilibus statuuntur

ad limitandam expansionem demographicam: saepe saepius ad vasectiomiam vel alia huiusmodi recurrunt. Quid dicemus de illis matrimoniis? Impossibile esset privare multitudines hominum iure fundamentali matrimonii.

Ideo ad copulam perfectam ne requiratur verum semen.

Card. Praeses, suggestiones consultorum resumens, censem plures quaestiones in hac discussione positas esse circa « copulam perfectam ». Opportunum est ut Relator indicem harum quaestionum faciat, ut de singulis discussio et aliqua suffragatio explorativa habeatur.

Conventus II

Die 17 februarii 1970

Relator dicit ex discussione heri habita, sequentes quaestiones positas esse, quas singulas perpendere oportet:

- 1) utrum in Codice recipienda sit definitio copulae perfectae, an descriptio tantum;
- 2) an exprimendum sit quo iure — naturali aut positivo — requiritur capacitas copulae perfectae;
- 3) an requiratur penetratio;
- 4) an requiratur « verum semen » in testiculis elaboratum;
- 5) an requiratur ut copula sit sativa libidinis;
- 6) an requiratur absentia violentiae et doloris intolerabilis;
- 7) an requiratur absentia mediorum anticonceptionalium.

Ad 1.um: Utrum in Codice recipienda sit definitio copulae perfectae, an descriptio tantum.

Omnis consultores negative respondent. Nulla definitio neque descriptio copulae perfectae facienda est. Sufficit ut in normis quae attinent sive ad consummationem sive ad impedimentum potentiae, saltem oblique illa elementa appareant quae sint necessaria ad copulam, super quae versari debeat consensus et sine quibus aliquis impotens dici debeat.

Aliqui consultores dicunt non esse bonam locutionem « copula perfecta », quia verbum « perfecta » implicat conceptum perfectionis,

quae in hac materia multa dubia pareret. Dicatur potius copula naturalis vel apta vel « coniugalis ».

Unus tamen consultor adnotat in traditione canonistica verbum « perfecta » non implicare ideam perfectionis, sed ideam integritatis actus, scilicet ideam perductionis ad finem.

Alii consultores malunt ut distincta teneantur elementa quae constituent copulam et elementa quae consummationem matrimonii producunt.

Consultor prior animadvertisit de necessitate excogitandi aliquem modum ex quo clare appareant elementa copulae, ut sanetur illa diversitas procedendi inter S. R. Rotam et Congregationem pro Doctrina Fidei.

Etiam Card. Praeses convenit circa necessitatem ut saltem oblique appareat ex normis Codicis quaenam sint elementa necessaria ad copulam. Postea sermo erit de loco opportuno.

Ad 2.um: An exprimendum sit quo iure — naturali aut positivo — requiritur capacitas copulae perfectae.

Card. Praeses decernit de hac quaestione in fine huius sessionis vel in proxima sessione esse disputandum. Quando enim singula elementa copulae examinata fuerint, clarissimum aliquid forsitan dicere poterit de iure naturae, quamvis confitendum sit rem esse omnino arduam.

Ad 3.um: An requiratur penetratio.

Peritus A censet dari et consistere posse verum matrimonium, quin habeatur capacitas penetrandi vaginam. Sufficit ut mulier acceptet hanc situationem et contenta sit de seminatione artificiali. Non nimis insistendum est in verbis Evangelii « fiant una caro » ad urgendam necessitatem penetrationis. « Una caro » vere habetur in filio. Si illud « una caro » sponsos tantum respiceret, tunc per se dici posset quod etiam in unione homosexuali habetur « una caro ».

Unus consultor animadvertisit quod « una caro » ordinari debet ad generationem prolis, ideo non quaevis unio efficit « una caro », sed tantum illa quae aperta est ad generationem prolis.

Card. Praeses monet ne nimis indulgeatur tentationi suffragandi notiones biologicas per verba S. Scripturae et vicissim.

Aliqui consultores in facto penetrationis considerant potius expressionem unitivam amoris quae maxime in illo actu obtinetur.

Alius censet quaestionem definiri non posse nisi antea determinetur utrum impedimentum consistat in potentia coeundi an in potentia generandi.

Fere omnes consultores censemur impedimentum esse in potentia coeundi et ideo penetrationem necessariam dicunt. De casibus autem propositis a perito A, ipsi consultores censemur illos in hac sede considerari non posse, quia lex agere debet de iis quae naturaliter fiunt.

Alius autem consultor censet casus propositos a perito A praeteriri non posse, quia scire debemus an matrimonia illa sint valida.

Alius adhuc censet capacitatem penetrationis non esse necessariam ad valide contrahendum; esse vero necessariam ad matrimonium consummandum.

Suffragatio petitur an requiratur penetratio vaginae:

Placet: 12

Non placet: 4

Placet iuxta modum: 1.

Ad 4.um: An requiratur verum semen in testiculis elaboratum.

Unus consultor censet hoc dubium 4.um esse clarius redigendum in ordine ad nostram quaestionem de potentia, quia dubium, prout propositum a Relatore, multa elementa continet. Nostra quaestio est utrum requiratur semen prolificum an sufficiat seminatio sine respectu ad naturam ipsius seminis. In recentiore iurisprudentia rotali addita sunt verba « in testiculis elaboratum » ad explicanda verba « verum semen », scilicet, secundum iurisprudentiam, illud semen est verum quod sit in testiculis elaboratum.

Relator ita dubium corrigit: « Utrum requiratur verum semen prout requiritur a iurisprudentia rotali, an sufficiat seminatio sine respectu ad naturam veri seminis ».

Omnis consultores negant necessitatem seminis prout a iurisprudentia rotali requiritur. Imo duo consultores ne quidem potentiam seminandi requirunt ad matrimonium valide contrahendum, quia, secundum ipsos, impedimentum potentiae est iuris positivi et quia in veteri traditione non vetabatur matrimonium illis qui hoc defectu laborabant. Praecipua argumenta quae afferuntur a consultoribus contra necessitatem veri seminis, in testiculis elaborati, haec sunt:

— In tota traditione usque ad Epist. *Cum frequenter* Sixti V, 22 iun. 1587, videtur historice certum Ecclesiam numquam exegisse capacitatem emittendi semen in testiculis elaboratum ut quis potens

haberetur ad matrimonium contrahendum. A matrimonio excludebantur uti impotentes tantum illi qui seminationem ordinariam habere nequibant. Seminatio vero ordinaria reputabatur illa qua libidinis sedatio seu naturae resolutio obtinebatur. Hoc deducitur praesertim ex eis quae dicebantur agendo de « frigidis », de senibus et de sterilibus.

— Argumenta quae iurisprudentia moderna deducit ex Epist. Sixti V ad probandam necessitatem veri seminis non videntur esse cogentia. Sextus V enim non clare dicit utrum eunuchi et spadones impotentes censemur quia verum semen emittere nequeunt, sensu moderno, an quia nequeunt obtainere sedationem concupiscentiae; « verum semen » in Epist. *Cum frequenter* probabiliter est id quod in seminazione ordinaria emittitur.

— Etiam recentioribus temporibus sententia S. R. Rotae de necessitate veri seminis non ab omnibus admissa est. Inter scriptores de remorali haud pauci sunt, et magni nominis, qui propugnant ad matrimonialem potentiam sufficere capacitatem copulae secundum speciem externam perfectae.

— De senibus, de sterilibus, de muliere excissa nemo dubitat quin sint potentes ad matrimonium et tandem aliquando ratio ultima quae datur est quia in talibus casibus habetur copula unitiva qua alii fines matrimonii attinguntur, etsi generatio prolis sit impossibilis.

Cur eadem ratio non valet pro illo qui non habet « verum semen »?

— Evolutio doctrinae Ecclesiae de matrimonio versus maiorem in dies agnitionem valoris amoris coniugalnis ac communionis vitae (cf. Const. *Gaudium et spes* et Enc. *Humanae vitae*), exigere videtur ut momentum non adeo peremptorium tribuatur illi elemento biologico, semini scilicet in testiculis elaborato, ad determinandam capacitatem personae ad matrimonium. Posita capacitatem ad copulam unitivam, videtur capacitas agnoscenda esse ad illam « intimam communatem vitae et amoris coniugalnis » constituendam, quae est propria matrimonii et ad quam omnes homines ius habent donec certo argumentis omnino peremptoriis contrarium probetur.

Consultores praeterea confirmationem propriae sententiae sumunt ex illis quae dicuntur a scientia medica circa possibilitatem sanandi vasectomizatos. Nam peritus B dicit « verum semen » constitui ex spermatozois activis una cum aliis elementis liquidis quorum opere spermatozoa vitaliter sustentantur et suum iter percurrere valent. Aliquando ex causis pathologicis vel chirurgicis cessat productio nemaspermatum vel seminis abrumptur via ad eiaculationem. Attamen progrediente scientia medica, tales defectus corrigi possunt, immo aliqui casus (2%)

naturaliter resolvuntur. Deinde peritus B seriem casuum praebet ad dilucidandam possibilitatem sanationis huius defectus.

Ex his progressibus scientiae medicae consultores deducunt dubia merito moveri posse circa perpetuitatem vasectomiae.

Post hanc discussionem fit suffragatio dubii per partes:

a) an requiratur verum semen in testiculis elaboratum uti intellegitur in iurisprudentia rotali:

16 consultores contra 2 respondent negative.

b) an requiratur seminatio ordinaria uti in traditione antiqua intellegebatur, id est sine formali respectu ad naturam ipsius liquidi seminalis:

16 consultores respondent positive. 2 consultores respondent negative, iuxta iam dicta in discussione, quia secundum ipsos nulla potentia seminandi requiritur necessario ad ineundum matrimonium.

Peritus B, contra praedictos duos consultores, arguit non posse concipi societatem matrimonialem sine unione sexuali. Societas enim matrimonialis specificatur praecise per unionem sexualem. Si finis non requirendi ullum semen est ut non excludantur a matrimonio illi qui secus infelices essent per totam vitam, notandum est talem finem inanem esse. Nam si matrimonium illis permittitur, certo certius maioris infelicitatis via aperitur.

Conventus III

Die 18 februarii 1970

Ad 5.um: An requiratur ut copula sit satiativa libidinis.

Relator explicat sensum huius dubii. Supposita scilicet necessitate seminationis ordinariae, adhuc quaeritur an copula debeat esse satiativa libidinis.

Fere omnes consultores negative respondent. Hi enim plane admittunt copulam natura sua ordinari etiam ad satiandam libidinem, sed negant in concreto hoc elementum habere iuridicas consequentias, ita ut, si deficiat, impedimentum impotentiae constituat.

Alius consultor censet hoc dubium 5.um iam esse superfluum, cum a coetu admissa sit necessitas seminationis ordinariae, uti in dubio praecedenti.

Alius dein negat requiri satiationem libidinis, immo quaerit an per

tales quaestiones penitus e medio tollatur possiblitas concipiendi matrimonium ut communionem vitae in qua generatio tamen habeatur per fecundationem artificialem. Hoc propositum videretur imprudens, cum tales sint progressus in scientia genetica ut magis ac magis praxis fecundationis artificialis diffundi praevideatur. Nec valet obiectio quod actus fecundationis faciens sit modo humano, quia ex historia scimus multas res quae antea qualificabantur non « humanae », postea ut « humanae » consideratae sunt.

Alius consultor censet seminationem secumferre satiationem libidinis et ideo, obiective loquendo, huic dubio respondet positive. Attamen si quaeratur an subiective quis experiri debeat talem satietatem, tunc respondendum est negative.

Alius praeterea animadvertis copulam esse satiativam non solum quia producit orgasmum sed etiam quia sponsi per copulam fiunt una caro et experiuntur illam intimam unionem quae est propria matrimonii. Attamen, iuridice loquendo, non est necessarium ut copula sit satiativa, quia oportet ut in notione copulae intrent elementa absolute necessaria, sine quibus impotens quis haberi debet.

Alius consultor autem censet in copula quandam saltem satiationem esse necessariam, secus quinam erit finis copulae? Iam enim exclusa est necessitas veri seminis et consequenter quaedam satiatio per copulam consequi debet, ne ad factum mere machinale et inutile reducatur.

Alius consultor censet quaestionem quoad virum iam solutam esse ex eo quod indicata sit necessitas seminationis ordinariae in copula, quae, per se, dicit capacitatem copulae satiativae.

Quoad mulierem vero quaestio expresse facienda est et respondendum videtur quandam saltem capacitatem satiandi libidinem necessariam esse. Si enim mulier incapax esset numquam experiendi voluptates corporis, crudele esset habere illam ligatam matrimonio.

Alius dein quaerit a peritis utrum satiatio libidinis ligata sit effusione seminis.

Peritus A dicit satiationem non esse ligatam qualitati seminis sed quantitati: si datur quaedam massa seminis, habetur eiaculatio et inde satiatio.

Dubio autem an copula debeat esse satiativa libidinis, idem peritus respondet negative, eo vel magis quod ipse sentiat ne quidem penetrationem semper esse necessariam (fecundatio artificialis).

Peritus B censet satiationem libidinis non esse elementum necessarium copulae. Ad suam sententiam dilucidandam et confirmandam aliquas considerationes facit:

a) plura studia habentur ad integra servanda semina hominum extra eorum vas naturale, ad fecundationem tempore opportuno faciendam;

b) de frigiditate mulieris multa dicuntur sed problema adhuc manet obscurum et difficile; quidam dicunt « frigiditatem » esse conditionem naturalem mulieris;

c) difficillimum est determinare naturam voluptatis sexualis cum ad ipsam concurrent elementa physica, psychologica et spiritualia;

d) quidam sociologi americani censent orgasmum esse factum aliquod « culturale » quod nempe correspondet determinato stadio culturae humanae.

Praeterea, dicit peritus B, non tantum considerandi sunt casus normales, sed etiam casus anormales, ex. gr. illorum qui perversiones sexuales patiuntur. Vir, vitio homosexuali affectus, capax est ponendi omnia quae sunt necessaria ad copulam cum sua uxore, et tamen plenam satietatem assequitur tantum in actu homosexuali.

Tandem peritus B proponit ut sermo sit potius de « remedio concupiscentiae » loco satiationis libidinis. Satiatio libidinis enim est ligata facto physiologico copulae et circumscripta alicui organo determinato, dum « remedium concupiscentiae » comprehendit omnia quae conexa sunt cum copula. Ex. gr. aliqua mulier iam habet sufficiens remedium suae concupiscentiae in eo quod se tradit suo viro, quin sentiat voluptatem in organis copulae.

Plures consultores concordant cum perito B circa hanc ultimam animadversionem.

Deinde suffragium fit super dubio: an requiratur copula satiativa libidinis:

Negative: 8

Positive cum modo: 6

Abstinet 1.

Modi: 1) In viro requiritur satiatio libidinis; in muliere sufficit aliqua satiatio generali modo habita;

2) copula carnalis per se debet esse capax satiandi libidinem; non requiritur tamen ut actu et in concreto sit satiativa libidinis.

Unus consultor notat dubium non fuisse recte positum. Non enim determinari debet « an requiratur copula satiativa libidinis », sed potius « an requiratur ut copula sit apta satiandae libidini ».

Suffragatio super dubio « an requiratur ut copula sit apta satiandae libidini » hunc dat exitum:

Positive: 7

Negative: 7

Abstinet 1 (peritus B).

Ad 6.um: An requiratur absentia copulae violentae et doloris intolerabilis.

Card. Praeses dicit S. R. Rotam semper requisivisse ut copula habita sit modo humano et naturali. At merito quaeri potest quid significet « modo naturali et humano », vel saltem negative, quid excludat ille modus naturalis et humanus. Ut apte procedi possit configurandi sunt aliqui casus, an scilicet habeatur copula de qua loquimur, quando:

- a) vir violenter possidet mulierem nolentem;
- b) vir vel mulier medicamina aphrodisiaca sumunt ut habiles sint ad coitum;
- c) mulier intolerabiles dolores patitur.

Unus consultor monet S. Officium edidisse Instructionem in qua dicebatur matrimonium esse consummatum etiamsi copula violenter habita sit.

Alius vero consultor censet quaestiones huius dubii pertinere ad iurisprudentiam cuius erit examinare an matrimonium consummatum fuerit vel non. Si copula immanes dolores provocat, videndum est utrum agatur de vaginismo et tantum in hoc casu quaestio ponitur de impotentia.

Alius contradicit dicendo etiam casus de copula violenta videri referri posse ad quaestionem de potentia, quia copula debet esse actus humanus.

Peritus B censet distinguendum esse inter violentiam quae fit personae et violentiam in modo quo fit copula.

Prior consultor proponit ut dubium positive ponatur, an scilicet copula fieri debeat modo naturali et humano.

Sed Card. Praeses consultores rogat ut illi tres casus ab ipso configurati examinentur.

1) An habeatur vera copula (modo naturali et humano facta) quando vir violenter possidet mulierem nolentem.

Plures consultores negative respondent, quia deest libertas, sine

qua non potest haberi actus vere humanus. Consequenter, neque consummatio matrimonii per talem actum habetur.

Duo consultores suam dubitationem exprimunt circa hanc quaestionem definiendam, ideo se abstinent a sententia proferenda.

Alius admittit talem copulam non esse actum humanum, attamen sibi non videri deduci posse inconsuematum matrimonium.

Alius censet casum propositum de viro qui violenter suam uxorem possidet, difficulter configurari posse in sensu quod habeatur iniuria contra libertatem. Mulier, enim, vi contractus, tenetur ad copulam coniugalem. Alia est quaestio de liceitate et opportunitate morali talis copulae, at, si ius attendatur, vera copula illa dicenda est et consequenter per ipsam consummatio matrimonii habetur.

Alius pariter consultor censet copulam illam esse veram copulam, consummativam quidem matrimonii. Copula enim illa non est contra ius, quod datum fuit vi consensus.

Deinde fit suffragatio dubii:

Negative: 13

Affirmative: 2

Abstinent 2.

2) An habeatur vera copula (modo naturali et humano facta) quando medicamina aphrodisiaca sumuntur ad coitum facilius perficiendum.

Fere omnes consultores positive respondent, eo vel magis quia peritus B declarat per media aphrodisiaca non augeri potentiam coeundi sed tantum augeri sensibilitatem voluptatis.

Duo consultores respondent negative, praesertim si copula perfici nequeat sine illis mediis.

Alius censet iudicium circa hos casus competere iurisprudentiae. Unus consultor se abstinet a sententia in hac quaestione ferenda. Deinde fit suffragatio dubii:

Affirmative: 14

Negative: 2

Abstinet 1.

3) An habeatur vera copula (modo naturali et humano facta) quando mulier intolerabiles dolores patitur.

Plures consultores respondent positive, dummodo mulier consentiat.

Aliqui consultores negative respondent.

Duo consultores respondent affirmative, dummodo mulier consentiat et seposita quaestione an mulier illa censenda sit potens. Si talis enim quaestio ponatur dicendum est illam mulierem esse impotentem.

Duo alii consultores quaerunt an per illam copulam habeatur consummatio matrimonii: unus respondet positive; alius negative. De impotentia talis mulieris, ipsi consultores censem perpendendos esse singulos casus, ratione habita causae doloris mulieris.

Unus consultor censet veram copulam haberi etsi mulier dolores patiatur; utrum autem illa copula censenda sit modo humano et naturali facta, videtur responderi adaequate non posse, cum nimis incerta sit significatio illorum verborum « modo naturali et humano ».

Conventus IV

Die 19 februarii 1970

Cum Proff. A et B, ob sua munera, omnibus adunationibus huius sessionis assistere nequeant, Card. Praeses proponit ut cito examinetur quaestio quae ultimo loco in ordine laborum indicata est, scilicet: « De morbis psychicis qui impediunt aestimationem validam consensus matrimonialis et discretionem circa naturam et onera eiusdem consensus, an et quo loco Codicis de iis tractandum ».

Card. Praeses Relatorem rogat ut illustret nexus inter hanc quaestionem et quaestionem impotentiae.

Relator dicit hanc quaestionem, quae a quibusdam sub nomine « impotentiae moralis » proponitur, intime conecti debere cum quaestione de consensu matrimoniali, potius quam cum quaestione de impotentia. Consensus matrimonialis enim non respicit tantum « actus per se aptos ad prolis generationem » sed totum obiectum matrimonii (unitas, indissolubilitas, mutuum adiutorium etc.). Quaerendum nobis est an illi qui morbis psychicis laborant capaces sint eliciendi verum consensum circa omnia onera essentialia matrimonii, consensum nempe qui non sit vitiatus a constitutionali incapacitate observandi essentiales obligationes contractus matrimonialis. Comprobatum est, ex. gr., mulierem quae nymphomania et virum qui satyriasi laborant radicaliter incapaces esse observandi fidelitatem coniugalem.

Peritus A dicit revera multos esse morbos qui minuunt discretionem iudicii ac voluntatem debilitant. In praesenti statu progressus scientiae medicae illi morbi in duas classes dividi possunt:

a) Morbi qui dici possent « sine materia », id est morbi de quibus adhuc nescitur quaenam sit causa, qui aliquomodo insaniam sapiunt et intellectum obnubilant. Ultimis temporibus quaedam syndromes psychicae cognitae sunt quae afficiunt sexualitatem et in intellectum redundant. De his morbis, ad naturam et originem quod attinet, multae incertitudines extant in praesenti, tamen certo certius etiam in hac materia progressus scientiae habebuntur, ita ut aliquid magis definitum in posterum dici possit.

b) Alii morbi autem « cum materia » dici possunt. Iam constat dari aliquando « aberrationem chromosomaticam » quae ipsa chromosomata sexualia afficit, ita ut activitas sexualis vitiatur. In istis casibus defectus sunt congeniti et pertinent ad ipsam constitutionem personae. Quapropter concludi deberet talem morbum impedimentum dirimens matrimonii constituere.

Peritus B censet ante omnia bene delimitandam esse quaestionem, quae ita enunciari deberet: « An illa capacitas dandi consensum sit pathologice vitiata et qua mensura sit vitiata, ita ut ille consensus non sit sufficienter liber ».

Ad quaestionem ita positam respondendum est revera dari morbos psychicos qui exercent in voluntatem analogos effectus quos exercet violentia externa.

Deinde peritus B, ex sua scientia et experientia qua pollet, amplam relationem facit circa hos morbos et circa incidentiam quam habere possunt in capacitatem discretionis iudicii et libertatis humanae.

Card. Praeses peritum B rogat ut aliquam formulam proponat per quam indicetur illa « sanitas mentis » ad quam reconduci possint non tantum illa nota: « sciens ac volens » (de qua usque nunc auctores locuti sunt), sed etiam immunitas ab illis morbis gravioribus quos ipse peritus B indicavit. Talis formula necessario generica esse deberet, non tamen ita lata ut quaevis infirmitas psychica invocari posset contra validitatem consensus matrimonialis.

Ad 7.um: An sit consummativa matrimonii copula mediis anticonceptionibus habita.

Relator animadvertisit quaestionem hanc, saltem ex parte, iam implicite solutam esse in quaestionibus praecedentibus. Diximus enim ad copulam requiri penetrationem vaginae et effusionem seminis in ipsa vagina; quare, si media anticonceptionalia impediant effusionem seminis in vagina, non habetur neque vera copula neque consummatio

matrimonii. Convenit ut consultores, in suis responzionibus huic quae-
stioni, distinguant inter copulam condomatam, copulam cum pessario
et copulam cum aliis mediis contraceptivis.

Peritus B dicit per media contraceptiva chemica (pilulas) aliqua
elementa produci in corpore quae eandem actionem contra semen ex-
plicant ac pessarium. Talia elementa scilicet impediunt spermatozoa ne
cum ovulo femineo coniungantur.

Aliqui consultores dubio proposito respondent affirmative, quia
habetur penetratio et seminatio, etiamsi semen, per accidens, suum
finem non consequitur. Unus tamen admittit aliquando, etsi raro, con-
summationem non haberi.

Peritus B dicit, si biologia attendatur, per talem copulam matri-
monium consummari non posse. Attamen si a doctrina canonica co-
pula cum muliere excissa consideratur consummativa matrimonii, a
fortiori considerari debet consummativa matrimonii copula quae me-
diis onanisticis vel contraceptivis habetur.

Alii consultores censem per talem copulam non haberi consum-
mationem matrimonii, vel saltem haberi praesumptionem inconsu-
mationis.

Unus consultor notat si Summus Pontifex in istis casibus non solet
dare dispensationem super rato, inutilem esse quaestionem theoreticam
an talis copula sit consummativa matrimonii. Si quaeratur quid ipse
censeat de quaestione theoretica, respondet in talibus casibus consum-
mationem esse dubiam et ideo Summum Pontificem bene facere ne-
gando dispensationem super rato.

Aliqui consultores censem per talem copulam haberi consummatio-
nem matrimonii, excepto tantum casu in quo coitus interrupatur.
Sed ex his, unus aliquam dubitationem habet circa copulam condo-
matam, cum censeat probabilius etiam in hoc casu haberi consumma-
tionem.

Alius consultor hoc principium dat: quando media anticonceptio-
nalia afficiunt ipsum coitum, non habetur consummatio matrimonii;
quando afficiunt tantum generationem, tunc habetur consummatio.

Card. Praeses summatim conclusiones consultorum ita exponit:

- a) quando media anticonceptionalia afficiunt ipsum coitum non
habetur copula perfecta et ideo non habetur consummatio matrimonii;
- b) quando illa media non afficiunt coitum habetur copula per-
fecta et ideo habetur consummatio;
- c) aliquae dubitationes permanent circa copulam condomatam.

His omnibus disceptatis de copula perfecta, quae sit apta ad matrimonii consummationem, iam primae quaestioni a Secretaria indicatae pro laboribus huius sessionis respondendum est.

Quaestio ita se habet: « De potentia organica et speciatim de vasectomia viri an sit retinenda tamquam potentia viri matrimonii dirimens ».

Relator animadvertisit quaestionem de vasectomia viri iam solutam esse ex eo quod admissum sit ad copulam perfectam non requiri « verum semen » in testiculis elaboratum. Ideo vasectomia non retinenda est tamquam potentia. Alia ratio accedit ex eo quod communiter admittitur vasectomiam sanari posse.

Quaestio, dicit Relator, adhuc examinanda est de potentia mulieris, circa quam quaeri potest: 1) an sufficiat vagina artificialis; 2) utrum vagina perpetuo occlusa constituit impedimentum; 3) quid de muliere excissa.

1) *Quid de vagina artificiali.*

Peritus B dicit atrophiam vaginae aliquando ita gravem esse ut nullo modo curari possit; sed non raro atrophia levius est ita ut vagina a medicis refici possit et apta sit ad copulam.

Card. Praeses notat talem refectionem vaginae esse remedium extraordinarium ad quod mulier non potest obligari: hoc prae oculis habendum est in consideranda quaestione de vagina artificiali.

Fere omnes consultores censent, si mulier ante matrimonium vaginam artificialem consequitur, eam potentem habendam esse et ideo matrimonium esse validum. Si autem vagina artificialis post matrimonium contractum consequitur, tunc matrimonium est nullum, at convalidari potest.

Duo consultores censent esse validum matrimonium si mulier, in matrimonio contrahendo, obligationem sibi assumit se medicos aditaram ad reficiendam vaginam.

Alius vero, contra hanc ultimam sententiam, dicit matrimonium in casu non esse validum, quia mulier hic et nunc non dat ius in corpus, cum nemo dare possit quod non habet.

Conventus V

*Die 20 februarii 1970*2) *Quid de vagina occlusa vel aequivalenter occlusa.*

Peritus C notat vaginam aequivalenter occlusam operatione chirurgica sanari posse.

Fere omnes consultores, attentis iis quae dicta sunt circa elementa necessaria ad copulam perfectam, censem non considerandam esse impotentem mulierem quae habet vaginam occlusam vel aequivalenter occlusam.

Duo autem consultores censem esse impotentem mulierem cum vagina perpetuo occlusa. Si occlusio vero auferri potest, tunc idem dicendum est ac de muliere cum vagina artificiali.

3) *Quid de muliere excissa.*

Fere omnes consultores censem mulierem excissam considerandam esse tamquam potentem et ideo eius matrimonium esse validum. Usque nunc, quamvis ab unanimi iurisprudentia mulier excissa potens haberetur, aliquod dubium moveri poterat ex comparatione cum viro vasectomizato. Nunc vero, cum a coetu admissum sit vasectomiam non retinendam esse tamquam impotentiam, nullum dubium manet etiam circa mulierem excissam.

Unus consultor et peritus C censem mulierem excissam esse impotentem. Non videtur enim quomodo possit esse validum matrimonium in quo nullo modo copula sit apta ad prolis generationem ex defectu *absoluto, necessario et permanenti* potentiae generandi.

Duo alii consultores addunt se sperare canonem de dolo, a nostro coetu redacto, receptum iri in novo Codice. Secus opportunum esset impedimentum iuris ecclesiastici constituere de muliere excissa.

II

*De impotentia functionali,
an et quatenus impedimentum dirimens matrimonii constituant*

Consultores unanimiter concordant iudicium circa hanc impotentiam pertinere ad peritos in arte medica quorum est statuere naturam, causam, antecedentiam et perpetuitatem huius vitii. Tribunalia, de sin-

gulis iudicantia, facta perpendunt, sententias peritorum examinant et exinde statuunt an in casu defectus illam impotentiam constituat, quae, iuxta ius, impedit perpetuo quominus coniugalis copula perficiatur vel minus.

Unus consultor vellet ut non tantum potentia *perpetua* sed etiam illa quae sit *moraliter perpetua* constituat impedimentum dirimens matrimonii.

* * *

His omnibus disceptatis, Card. Praeses decernit ut quaestio an impedimentum potentiae sit iuris naturalis vel iuris positivi profundiore examini subiiciatur, ita ut in proxima Sessione conclusiones haberi possint.

Item in proxima Sessione definienda erit quaestio an et quomodo can. 1068 C.I.C. reformandus sit.

Interim Relator redactionem curabit schematis canonum ad mentem conclusionum quae in praesenti Sessione expressae sunt. Tale schema omnibus consultoribus mittetur, ita ut in proxima Sessione¹ novus vel novi canones examinari et approbari possint (F. Voto, *actuarius*).

¹ Quae habita est dd. 11-16 maii 1970; cf. etiam *Communicationes*, 6, 1974, p. 38.